Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2473
Quelle:
Copyright:

prima, edit. *Basil.* Opp. *Petrarchae* 1581. p. 861. f. Monachus ibi vocatur *Sagramorus de Pomeriis.* Nota temporis XV. *Cal. April.* abest a Codice.

VIII. *fol.* 132. absque Inscriptione, sed, ut in calce: *Recommendatio celle et heremi a francisco petrarcha.* Initium: *Libet de singularis vite illius laude pauca perstringere* &c. Neque *Petrarchae*, nec *Basilij* M. est, cujus T. II. Edit. *Maur. Paris.* 1722. p. 704. f. legitur, sed in Opusculo *Petri Damiani* ad *Leonem* Eremitam, quod *Dominus Vobiscum* inscribitur, Caput XIX. constituit. Adi Edit. *Lugdun.* 1623. p. 489. f.

IX. *fol.* 140. *Incipit itinerarius Johannis de Hese presbiteri traiectens. Dyocesis ad iherusalem per Diuersas mundi partes.* Initium: *Anno Domini M. CCC. LXXXIX. Johannes de Hese presbiter traiectens. Dyoces. fuit in iherusalem in maio* &c. *Bern. Pezius*, ut habes *Thes. Anecd. T. I. Dissert. Isag.* p. 87. in Cod. *Tegernseensi* pro M. CCCLXXXIX. legit DCCC. &c. quem secuti *Hist. Lit. Franc.* Autores Ὁδοιπορεον nostrum perperam Seculo IX. inseruere. Vide T. V. p. 663. Prodiit fabulosa haec Narratio *Paris.* 1489. 4. *Davent.* 1499. 4. S. l. et a. 4. *Davent.* 1504. 4. *Antverp.* 1565. 8. et alibi.

X. *fol.* 146. p. 2. *Notandum quod gentes christianorum diuiduntur in decem nationes videlicet in latinos Grecos. Indos. Jacobitas. Nestorianos. Moronitas. Armenos. Georgianos. Surianos et Mozarabes.* Exponuntur breviter singulorum Dogmata et Ritus. Falsa veris remixta. Ita *Maronitae* ducuntur a *Marone* Haeretico Monothelita, dicuntur habitare iuxta *Lybiam* (Libanum), rediisse (1182.) ad obedientiam ecclesiae Romanae, et iterum reversi ad suam opinionem, *in qua perseuerant*, id, quod certe de tota Gente dici nequit. *Mozarabum* nomen inde derivatur, *quia modos christianorum de arabia in multis tenebant.* &c. Finit hic recensus: *Causa vero tante diuisionis inter christianos fuit. quod ab antiquis temporibus christiani fuerunt astricti. ne celebrarent concilia generalia. Ideo insurgentibus hereticis in diuersis mundi partibus non fuit qui remedium apponeret. Secunda causa fuit negligentia summorum pontificum. qui non curauerunt nuncios mittere ad christianos in erroribus positos. quia si hoc fecissent multos aut omnes ad unam fidem et obedientiam romane ecclesie reduxissent.*

XI. *fol.* 148. *Sequitur epistola quam nephandissimus apostata babiloniorum Soldanus sanctissimo in christo patri et domino nostro domino Pio diuina prouidentia Pape secundo misit.* Ejus initium: *Johannes soldanus nuper christianus. Affinis deorum Babiloniorum* &c. Accedit Responsum *Pii* datum *Senis in curia episcopali quinto kalendas Martij An. domini M. CCCC. LX. Pontificatus anno secundo*, quod ad Epistolam *Pii* CCCXCVI. edit. *Opp. Basil.* 1571. p. 872. f. effi-